

causa indulgentie finalis terminativa. Auctoritas vero applicatis e causa indulgentie agens et effectiva. finis autem non acquiritur sine agente et ideo illa non valet sine ista. **Ad. terciu.** patet solutio quia dummodo informata indulgentie exprimitur quod valeat per patrem et matrem impleto causa indulgentie ita valet sicut exprimitur.

Questio xxxij. de effectu indulgentie.

Deinde considerandum est de effectu indulgentie circa quod quærentur quatuor. Primo utrum ipse possit facere quod duorum existentium in purgatorio in equali pena unus citius liberaretur quam alius? Secundo utrum ipse possit facere quod bona facta ab expiatis in peccato mortali sunt meritoria illis qui sunt in purgatorio. Tertio utrum ipse per communicationem indulgentie possit totum locum purgatorii expiare. Quarto utrum ipse per communicationem indulgentie contritos et confessos sic a tota pena et a culpa possit absolvere ut non transent per ignem purgatorii.

Ad primum ergo sic prebatur videtur enim quod ipse non possit facere quod duorum expiatis in equali pena in purgatorio unus citius liberetur quam alius quod qui sunt equaliter capaces ad recipienda suffragia et bona ecclesie equaliter liberantur a pena. Sed tales qui sunt in equali pena in purgatorio equaliter sunt capaces ergo unus non potest citius liberari quam alius per communicationem indulgentie et suffragiorum ecclesie. **P**ro iudicio non est hominis post mortem sed dei qui per veritatem iudicat ut scribitur ad Romanos. ij. Sed contra mentem iusti iudicis debet esse ut duorum qui sunt in equali pena unus recedat a gloria et alius admittatur ergo non potest fieri potentia papæ que inferior est ut unus citius liberetur quam alius. **I**ndulgentie et suffragia valent homini ex virtute passionis christi qui equaliter passus est pro illis qui sunt in equali caritate cum ergo illi qui sunt in equali pena in purgatorio supponant excessisse cum equali caritate non potest ergo unus citius liberari quam alius. **I**n contrarium est quod tunc frustra fierent in ecclesia suffragia plura pro uno quam pro alio et frustra plures indulgentie fierent pro uno quam pro alio ex quo equaliter valerent pro omnibus. **R**esponso. Dicendum quod ista questio fundatur super virtutem suffragiorum et indulgentiarum utrum predicta facta pro aliquo valeant solum illi pro quo sunt ad liberationem pene vel valeant etiam alijs. **A**d quod aliqui dixerunt quod non magis valent illi pro quo sunt quam alijs imo forte magis alijs si sunt melius dispositi ad recipiendum suffragiorum ac indulgentiarum virtutem et ponunt exemplum. **S**i enim accendatur cereus in domo aliquo divitis illuminat omnes existentes in domo et forte alios magis illuminat quam divitem pro quo accensus est si habent limpidiorem visum. **S**ed magis habet opinionem dicendum est quod duorum qui propter equeles culpas retinentur in purgatorio in equali pena non citius liberatur unus quam alius ex quo indulgentie et suffragia equaliter